



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

119. An in collatione serotina licitum sit sumere, v. g. duo ova, & quoad
quantitatem, an quis possit sumere quartam partem comestionis? Et an in
piscibus, caseo, lacte, cremoe amygdalino, & triticeo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

hoc ex appetitu, aut voluntate eorum qui prandium faciunt, aut cenam dependent, sane non ex alio capite. Hæcque Leandrus doctè, vt semper solet.

3. Ex dictis sequitur, non esse audiendum Pasqualigum asserentem, diebus in quibus prohibentur oua, & lecticina, posse concedi panem biscoctum in quantumque magna quantitate. Sed hanc opinionem acriter refellit Leandrus *vbi supra, disp. 3. quæst. 18.* respondens ad omnia fundamenta Pasqualigi: Imo *disp. 4. quæst. 48.* putat collationem serotinam in quantitate vnicuiusque valde dicitur biscorto; Non tamen damnarem, qui comederet vnum biscorto. Et ita me citato docet Rosafull. in *Praxi Theol. Moral. tom. 2. l. 3. de Præcept. Decis. cap. 4. num. 7.* Vnde Martinus de San Ioseph in *Mon. Confess. tom. 1. l. 2. tr. 6. de Ieiunio, num. 4.* asserit: No ay que esculpulear, es en comer vn biscocho en la Colación, porque es pequeña la parte de hueuo que lleva, y lo demas es pan, y azucar. Et tandem nota Patrem Pasqualigum, *decis. 115. n. 7.* docere, quod capite, seu stomacho debiles; possunt in collatione vti ouis; Sed Leandrus *quæst. 47.* putat contrarium; quia alia obiecta dantur, quibus licet vti in collatione possint ad tollendam debilitatem capitis, & confortandum stomachum; vt ex dictis constat: illis ergo debent vti stomacho, aut capite debiles, non ouis per consuetudinem prohibitis.

RESOL. CXIX.

An in collatione serotina licitum sit sumere v. g. duo oua, & quoad quantitatem an quis possit sumere quartam partem comestionis?

Et an in piscibus, casco, lacte, cremore amygdalino, & triticeo, id est Almondada y Aluimán, possit fieri serotina collatio serotina? Ex part. 4. tr. 4. & Miscel. Ref. 17.

§. 1. Vt tamque sententiam ego reprobaui in *tr. de Ieiunio, resol. 1.* non tamen ita acriter, vt Turrianus Societatis Iesv in *ensur. theologis cent. 2. lib. 94. vb. sic ait.* An sit censura dignum asserere in Ieiunio posse pro collatione, seu refectiuicula sumere duo oua? Respondeo, doctrina est scandalosa, temeraria & contraria bonis moribus. Ita ille. Quoad secundam questionem, Fillucius & alij, vt ego *vbi supra* notari, affirmatiue respondent, asserentes non esse quantitatem notabilem in collatione Ieiunij sumere quartam partem eorum, quæ Ieiunanti sufficerent ad comedendam suam comestionem, quia quarta pars comestionis non censetur magna quantitas, sicut neque in Missa, neque in Hostiæ canonicis. Secundò, quia quantitas, quæ fieri solet, non est minor quam sit quarta pars. Tertio, quia ita iudicatum est in celebri, &c. Sed hæc doctrina, ait Turrianus *loc. cit. cent. 3. dub. 27.* est omnino improbabilis, & temeraria iudicata à viris doctis Hispaniæ, neque est tuta in praxi, quia vel per comestionem intelligit meridianam, vel cenam Vespertinam; & quicquid intelligit est falsissimum, quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quantitatem assumunt, vt quarta pars sit quantitas notabilis, testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos. Item non dicitur benè, quartam partem alicuius totius non censeri magnam, non est enim consideranda quantitas relata ad totum, sed secundum se, vnde constat ad primam rationem. Ad secundam respondeatur assumptum esse manifestè falsum secundum communem consuetudinem Hispanorum, & eadem referuntur apud alias nationes ab his, qui in eis habitant. Tertium nullius est momenti. Hæc omnia Turrianus, Tom. IV.

& ego antea, licet magis suauiter in *d. er. de Ieiunio, resol. 1.* Non sunt igitur supradictæ opiniones in praxi admittendæ, & ita facientes frangerent omnino Ieiunium.

2. Nota quòd post hæc scripta inueni sententiam nostram quam olim *vbi supra* docui damnantem sumentes collationem serotinam in diebus Ieiunij cum piscibus, &c. docere etiam Sanchez in *opusc. tom. 2. l. 5. cap. 1. dub. 25. n. 4.* vbi sic ait. Illa quæ sumuntur ad collationem simul cum pane, non debent esse cibi, qui ordinantur communiter ad perfectam sustentationem, vt oua, pisces; nam in his licet similis quantitas non violaret Ieiunium, violaret tamen ratione qualitatis, vnde non potest fieri cum casco, lacte, cremore amygdalino & triticeo, id est, *almendrada, y almidan.* Hæc Sanchez, & ideo nescio quomodo contrarium facientes possint excusari à peccato mortali, cum hæc opinio sit communis, neque valet consuetudo, quam aliqui asserunt, nam potius consuetudo est in contrarium, vt omnibus patet, nec probatione indiget; & vt consuetudo in tali casu excusaret, deberet esse introducta à maiori parte, communitibus, & non paucioribus Prælati, nam non potest esse legitima consuetudo illa, quæ obseruatur à paucioribus, & parum timoratis, & si forsitan aliqui viti probi hoc antea fecerunt, excusantur ex errore & bona fide, ex opinione Bonacinae, non autem ex consuetudine, quæ reuera, vt dictum est, non adest, & contrarium asserere est falsitas, & sic tenent Patres Societ. Iesv, & nostræ Religionis.

RESOL. CXX.

An in collatione serotina Ieiuniorum possit quis in quantitate licita comedere pisces?

Et notatur quantitate vnicuiusque posse sumi in collatione serotina. Ex part. 9. tractat. 6. & Miscel. 1. Ref. 8.

§. 1. Cvm in meo Tractatu de Ieiunio, *resol. 1.* pro adduxerim solam Bonacinam; postea per litteras à plurius enixè rogatus sum, vt si alios Doctores contra meam sententiam in fauorem Bonacinae inuenirem, palam facerem: quod nunc facio: & id. d. eorum verba accipe, Petrus Marchant. in *Tribun. Sacrament. tom. 2. tract. 12. tit. 3. quæst. 3. dub. 1.* sic ait: [In collatiuncula vespertina de qualitate cibi non est altercandum, sed de quantitate duntaxat. Fundor: quia collatiuncula illa tolerata, vel permessa est ad aliquam confortationem naturæ, propter infirmitatem humanam. Quid igitur refert, quo cibo confortatio illa fiat, modò non excedatur; & cibus abstinentiæ Ieiunij sit accommodatus; vel quid singularis dispensationis, siue gratiæ interuenire potest, vt me fructibus, & pane repleam; piscicula autem, aut subortiuiculam alterius generis attingere non audeam? Igitur censeo, qualitatem cibi, modò ex prohibitis in diebus Ieiuniorum non sit, collatiunculam non vitare, si in quantitate non excedatur.

2. Franciscus Ghetius in *thes. anima, tom. 2. verb. Ieiunium, c. 1. q. 4.* [In ientaculo serotino non refert; quid quisque sumat, si modum non excedat, dummodo non sit aliquis ex cibis vetitis; vnde poterit comedi casens, pisciculi parui, vel pars exigua piscis grandis, iusculum etiam aliquod, & tandem quicquid magis vnusquisque putat prodesse suæ complexioni. Circa quantitatem non est determinanda; sed relinquenda est conscientiæ vnusquisque: quia, cum diuersa sint complexioniones hominum, quantitas determinata poterit esse deficiens vni, & sufficiens alteri, excedens alteri.]

Z 3 3. Niço

Quæ hic est sup. Ref. 116. §. 2.

Sup. his in Ref. & 55. not. 2. huius Ref.

Sup. his sup. in Ref. 115. §. 2. & in Ref. 116. §. Filluc. & in Ref. 117. §. Hæc, & inf. in Ref. 121. & 122.

N A
nia
L. IV. V
III

Quæ hic est sup. Ref. 116. in §. Sed. 6. & §. Villosobos, & n. alius §. etus not. assignatis sup. hoc, & in §. vlt. Ref. præter, in princ. & inf. in Ref. 124. §. 2. ad lin. 3.